



Boehmer Trög. 1798 nr. 1^d ist hinter } eingeklebt
1798 nr. 4^b statt " }
" nr. 7^c

" "

13
DE
VSV ET EFFECTV IVRISIVRAN-
DI PVRGATORII

DISSERTATIO

QVAM

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIIS
SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PRO-
FESSORE PVBLICO FACVLTATISIVRIDICAE ORDINARIO CONSI-
STORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE XXVII. FEBRVAR. A. R. S. c1010ccxcvi.

H. L. Q. S.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS GODOFREDVS THEODORVS
WINCKLERVS

DRESDENSIS.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.



VSV ET EFFECTV IVRISVRAN-

DI PVGATORII

WILHELMUS

DOCTOR

DOCTOR

DI ODORATI ET IURIS

SYNDICUS

BRACTORIVS

PATRIBVS CONSCRIPTIS

REGISTRI BRACERII

PATRIBVS GRAVISSIMIS



MUSEI V I R I I S
AMPLISSIMIS IVRIUM CONSVLTISSIMIS
DOCTISSIMIS
C O N S V L I B V S
S Y N D I C O
P R A E T O R I B V S
ET
C E T E R I S
P A T R I B V S C O N S C R I P T I S
C I V I T A T I S D R E S D E N S I S
P A T R O N I S G R A V I S S I M I S

HVNC TEN VEM LIBELLVM

PIA MENTE

OFFERT

A V T O R

CAROLVS GODOFREDVS THEODORVS WINCKLERVS.



§. I.

De iureiurando purgatorio in genere.

Egregie quidem multi ICTi locum de iureiurando purgatorio, in omni iure, tam criminali quam ciuili, grauissimum tractarunt, eumque non paucis obseruationibus illustrarunt; attamen nemo eundem ita excussit; vt posteriorum industriae nihil amplius reliquerit. Licet vero tantum mihi non arrogem, vt studium eorum, qui in hoc argumento difficili exponendo versati fuere, contemnere vel reprehendere auisim; spero tamen, lectorum humanitate fretus, me facile veniam impetraturum, si rationes temporis in hac academia transacti nunc redditurus, meam qualemcunque operam materiae fructuosae explicandae ita impendam, vt inprimis vsum atque effectum iurisiurandi purgatorii ostendam. Omisi tamen in tractando hoc loco, ne libellus nimis excresecat, quaestionem, quae doctissimos viros iam exercuit, vtrum iusiurandum purgatorium, si prudentiae legislatoriae



praecepta respicis, in foro admittendum sit, nec ne,^{a)} ac potius ad ea, quae in nostris foris vsus praestant, animum attendo. Iuuat vero ante omnia quaedam de hoc iureiurando in vniuersum praemittere, vt consilium propositum eo melius exequar. Generalis vero notio huius iurisiurandi, quae et ad causas ciuiles et ad criminales pertinet, in eo consistit, vt a iudice imponatur tunc, quando quis suspiciones^{b)} vel ex probatione alterius imperfecta, vel ex indicii contra se ortas elidere debet.^{c)} Iurisiurandum purgatorium vero in causa criminali praestandum, a Lancelotto in *Instit. Iur. Canon. Libr. IV. Tit. 2.* demonstratio innocentiae super obiecto crimine dicitur. Diuisiones iurisiurandi purgatorii duae potissimum tradi solent. Etenim in simplex et non simplex illud vulgo dispescitur, in quo posteriori compurgatores adhibentur,^{d)} item in sollemne et minus sollemne. Illud in causis criminalibus, hoc in causis ciuilibus locum habet.

§. 2.

Eius origo et progressus.

De origine huius iurisiurandi inter iuris interpretes haud conuenit. Antiquissima purgationis sollemnis vestigia *c. 21. C. 2. qu. 5.* repetit ex literis sacris, scilicet ex *cap. 5. Numer.* vbi mulier adulterii rea innocentiam rite probare iubetur. Sed in loco excitato non occurrit iurisiurandum, sed mera obtestatio. Multi, istud ex iure Romano originem traxisse

a) Confer. Malblanc, in *doctrin. de iureiurando Libr. IV. cap. 4. §. u.* et Boehmer, in *Exercit. ad D. T. III. Exerc. 48. §. 3 seq.*

b) has enim expresse postulat *Constit. Elect. 22. P. I.*

c) in quo Danzius *T. I. Sect. II. Cap. V.* et Hellfeldius in *iurisprud. forensi §. 811.* nec non Wernher, *P. IV. Obs. 17.* consentiunt.

d) vid. Berger, *Oec. Iur. ed. Winckler.* p. 829, et Wernher, l. c.

xiffe, statuunt. Sed pleraeque leges, quibus hanc opinionem munire student, non de iureiurando, quod iudex imponit, sed de eo, quod pars parti defert, sunt accipiendae, vel saltem de suppletorio interpretandae. Breuitatis causa hic pro uoco ad Boehmerum in *Exercitat. supra laudat.* §. 6. Negare tamen nolo, ex quibusdam *legibus*, veluti ex L. 6. §. 4. *de his, qui ad eccles. conjug. et ex L. 10. §. 1. C. de bon. auctoritat. iudic. possidend.* satis esse perspicuum, iudicem ab eo, qui mala suspicione premebatur, iusiurandum exigere potuisse. Sed non est necessarium, purgatorii usum ab infidelibus peregrinis arcessere, cum is iam antiquis moribus in Germania obtinuerit. Certe in *leg. Salic. Tit. 76.* manifesta deprehenduntur eius purgationis vestigia, qua quidem lege immensam iuramentorum multitudinem introductam fuisse, iam animaduertit Hoffmannus in *Specim. coniecturar. de origine et natur. leg. German. p. 33.* Lex Ripuariorum non solum delictorum leuium, sed etiam atrocium reis, poenas quidem constituit, sed iisdem simul potestatem iureiurando suspicionem malam auertendi permittit. Ex multis locis hic vnum tantum afferre sufficiat. Ita vero *Tit. 9.* praecipitur: *si quis hominem regium interfecerit, centum solidis culpabilis iudicetur, aut cum duodecim iuret.* Sapienter *L. Alamann. Tit. 42.* cautum, ne is, qui ex qualicumque causa, criminis conuictus est, ad iurandum admittatur. Periuria quoque vehementer detestatur *L. Burgund. Tit. 45.* Sed nimiam iurandi facilitatem concedunt aliae leges, veluti *L. Saxonum. Tit. 1.* et *L. Frisonum Tit. 1.* Quod quidem vitium iure exprobrari potest legibus regum Francorum. Confer. *leg. Caroli Magni a. 132. p. 1168.* in *Corpor. iur. German. Georgisch.* item *Capitular. Libr. 4. cap. 29. ibid. p. 1377.* Neque mirandum, usum iuramentorum tantopere



in Germania fuisse amplificatum. Postquam enim purior religio fuerat recepta, in primis clerici omnibus modis eundem tueri studuerunt. Tunc vero clerici iuramenta, quae primis Christianis ob superstitionem maxime fuerunt inuisa, tanquam impia repudiarunt. Substituerunt vero in locum rerum, quas gentiles coluere tanquam sacras, alias, veluti reliquias martyrum,^{e)} et Biblia sacra, quae tangebantur a iurante, qui simul Martyres euocare debebat, vt miraculum ederent, si quis peierasset. Vt vero ad forum ecclesiasticum omnes contro- uersias facilius traherent, maxima vi in purgationes et proba- tiones antiquitus in Germania vsitatas, per ordalia, veluti per aquam frigidam et ferrum candens, quas ius pontificium vul- gares nominat, irruere clerici, quo quidem impetu, cui in- signis accedebat auctoritas a reuerentia reliquiis vulgo praes- tita, eo peruenerunt, vt vulgaris haec purgatio legibus ab- rogaretur, et canonica, quae iureiurando fiebat, praescribe- retur, quam, vti iam monui, leges Germanicae antiquae ma- ximopere fouebant. Clerici vero ipsi, qui olim a iureiuran- do arcebantur, quia manus, per quam corpus et sanguis Christi conficitur, iureiurando pollueretur, vid. *c. 2. 3. 4. C. 2. qu. 5.* ad hoc iuramentum purgatorium fuerunt admissi, Gregorio III. auctore,^{f)} ne lubrica et incerta probatione vul- gari bona vel famam amitterent, ita quidem, vt, vel leui ru- more allato, statim ad purgationem se offerre possent. Pon- tifex quidem Leo III. primo certam normam purgationi clericorum in *c. 19. C. 2. qu. 5.* praescripsit. Compurga- tores maioris sollemnitatis causa, ex more eorum tempo- rum,

e) Sic iuratum est ad B. Petri Apostoli sacratissimum corpus *c. 7. C. 2. qu. 5.* et ad sacra Dei euangelia. *c. 5. X. de purgar. canonic.*

f) *c. 5 et 6. C. 2. qu. 5.* Adde *c. 10. X. de purgar. canonic.*

rum, ^{g)} tunc adhiberi solebant, quorum quidem numerus varius erat, et quos mox actor, mox reus eligebat. Praecipit vero pontifex, ut in clericorum purgatione, clerici tantum tanquam compurgatores adhiberentur, qui tamen tantum de credulitate iurare erant soliti ^{h)}. c. 13. X. de purgat. canon. Haec iuris canonici praecepta multis deinde legibus recentioribus fuere comprobata, atque inde factum, ut usus iurisiurandi purgatorii ad nostra fora fuerit translatus. Quod eo minus mirandum, cum ius Saxonicum antiquum reo in factis extrajudicialibus facultatem permiserit iureiurando innocentiam probandi. Ita enim tradit *Ius prouinc. Saxonicae Libr. 1. art. 18*: alles, was ein Mann vor Gericht nicht thät, wie wissentlichen das sonst wäre, desselbigen möchte er mit seiner Unschuld entgehen, und man möcht ihn das nicht überzeugen. Adde *Libr. 2. art. 17.* et *Libr. 3. art. 47.* ⁱ⁾ Apertis quaeque verbis mentionem ipsius facit *Recessus Imp. de a. 1512. Tit. von Gotteslästern. §. 6.* verbi: ^{k)} daß er glaube, wiewohl er die That diese Zeit nicht beybringen könne, daß solche Artickel des Verdachts wahr seyn, und, so er dies gethan, soll der Beschuldigte schuldig seyn, sich desselben, mit dem Eyd zu purgieren, vbi et iudicis arbitrio relinquitur, num compurgatores admittere velit, nec ne. Veniunt et in censum *Ordinat. Pac. Wormat.* de

g) Confer ea, quae Siccama ad *Leg. Frison. Tir. 1. §. 3.* obseruauit. Adde Carol. du Fresne *Glossar. sub verb. Iuramentum.*

h) Heineccius in *Element. iur. German. Libr. 3. Tir. 6. §. 217.*

i) Hinc merito frequentiam iuramentorum tanquam vitium antiqui iuris Saxonici reprehendit Leyserus in *dissertat. prior. quae collat. iur. Saxon. cum iur. Roman. inscribitur, §. 32.*

k) *Neue Sammlung der Reichsabschiede. Part. 2. p. 142.*



de a. 1521. *Tit. 7. §. 8. et Ordinatio. Cam. Part. II. Tit. 10. §. 1.* In nostris terris expresse receptum est purgatorium iusiurandum, uti ex *Constitut. elect. 22. Part. I. Decis. elect. 81. Ord. P. R. Tit. 1. §. 6. Tit. XXX. et XXXII.* fati intelligitur.

§. 3.

De usu iurisiurandi purgatorii in causis civilibus.

His breuiter expositis, ad ipsum disputationis argumentum progredi licet. Vt autem iurisiurandi purgatorii non solum in causis criminalibus, de quibus §. sequenti agam, sed et in civilibus propter sanctionem *Constitut. 22. Part. II.*¹⁾ occurrit. Praestatur vero illud non solum in causis minutis, et quae his secundum *O. P. R. Tit. I. §. 6.* aequiparantur, ad accelerandum processum exitum, sed etiam in causis ordinariis, argumento *Constitutionis laudatae*, ita ut semper ab eo, contra quem probatio instituitur, exigatur, nullo discrimine habito, num probatio actionis vel exceptionum, in sententia fuerit imposita. Hoc quidem inter omnes constat, si minus plene probatum fuerit, hoc iusiurandum esse decernendum, quia semper proni esse debemus ad eum absoluentem, contra quem minima praesumptionum pugnat pars. Anceps vero eius usus tunc esse videtur, cum istud cum iureiurando suppletorio concurrat, veluti si femiplena probatio adsit talis, ut argumenta reperiantur propemodum paria ad reum absoluentem aequae ac ad eum condemnandum. In hoc dubio certamine adhibenda erit regula, quam praescribit *O. P. R. Tit. XXX. §. 1.* ut in hac specie, si vna pars de

¹⁾ ubi verba leguntur: *man hat sich aber verglichen, dass iusta ex causa in civilibus solcher iuramentum ein Richter befugt seyn sollte zu erkennen.*



de veritate, altera vero tantum de credulitate iurare possit, priori ob maiorem fidem iusiurandum imponatur. Gailius *Libr. I. Obs. 108. n. 11.* hanc proponit regulam, vt in causa ardua potius ad purgatorium, quam ad suppletorium recurrendum sit. Sed cum vtriusque litigatoris aequalis sit conditio, ad officium vero iudicis pertineat, litem ita, vt religio suggerit, dirimere, regula potius sic formanda videtur, quod non solum in tali causa, sed et in aliis, is iurare debeat, qui magis est probatae fidei, magisque de veritate facti dubii persuasus. Hoc etiam in eo exemplo obuenire videtur, quod Bergerus in *Elect. Disc. forens. p. 871.* affert, Iudaeum nempe, qui cum Christiano litem habet, quamuis semiplene probauerit et de veritate iurare possit, tamen a iureiurando suppletorio ita esse arcendum, vt potius Christiano purgatorii praestatio permittatur, licet negandum non sit, rationem huius rei repetendam esse a mala suspicione, qua Iudaei in vniuersum premuntur. Favorabilius quoque iusiurandum purgatorium quam suppletorium, si dubitatio oboriatur, ideo viderur, quia partes rei, cui plerumque iusiurandum purgatorium imponitur, favorabiliores sunt partibus actoris, et quoniam secundum *leg. 47. D. de obligat. et actionib.* prioriores ad liberandum, quam ad condemnandum esse debemus. Hinc contendit Bergerus in *Elect. Disc. forens. p. 869.* suppletorium iuramentum analogiae iuris non satis conuenire, quia is, qui de veritate rei, quam probare voluit, in supplementum iurat, testis esse videtur, cui tamen in propria causa deponenti fides in regula haberi nequeat. Quin Heineccius in *dissert. de lubricit. iurisiurand. suppletor. §. 8. seqq.* argumentis haud contemnendis ostendit, iusiurandum suppletorium in iure ciuili nullum reperire praesidium eo-que reum, si actor non plene probauerit, esse absoluendum.





Quam quidem rationem in iureiurando purgatorio cessare, nemo facile dubitauerit. Nostri quidem legibus occurrunt etiam rationes speciales, cur purgatorium magis quam supplementarium sit decernendum. Huc pertinet illa, cuius mentionem facit *O. P. R. Tit. XXX.* de purgatorio a non mercatore iurando, si mercator actor extractum ex libro mercatorio ad intentionem suam probandam protulerit, et aequali modo Berger in *Oecon. Iur. Libr. 4. Tit. 25. §. 4, 14.* casum proponit, cui rem iudicatam de 1710. adiecit, ex quo apparet, iusiurandum purgatorium interdum in causa ciuili decerni posse, licet idonea desit ad inquirendum suspicio, scilicet, quando periculum obuenerit perpetui reatus, qualis hic incestus iuris diuini erat. Si iusiurandum purgatorium vniuersitati fuerit impositum, duae tertiae ipsius nomine iurant, ex *Ord. Camer. Part. II. Tit. 11. §. würde aber eine Commun.* et plerumque ex iuraturis eliguntur personae maximae suspectae, quod sententiam supra propositam confirmare videtur. Iure vero Saxonico aliud constitutum est, cum iusiurandum vniuersitati iniunctum tantum per tria aut quatuor membra, quae eligere potest pars aduersa, praestandum sit. *Ordin. Proc. Recog. Tit. 18. §. 5.* Fuit quidem dubitatio orta, num *locus excitatus* sit ad iuramenta delata restringendus, an etiam ad ea, quae a iudice ex officio imponuntur, applicandus. Sed omnis sublata fuit dubitatio interpretatione authentica, quam Rescripta de ao. 1729. et 1743. in *Cod. Aug. continuat. Sect. I. p. 283. seq. et p. 333. seq.* suppeditant, ex quibus est perspicuum, eum pertinere ad omnia iuramentorum genera. Ceterum non dubitandum, quin et heredes ad iusiurandum purgatorium, certe de credulitate praestandum admittendi sint, si testatori hoc fuerit impositum, is vero iam, sese ad iusiurandum paratum esse, luculenter

fatis

fatis declarauerit. Quaestionem, num iusiurandum alicui impositum propter mortem, pro praestito habendum sit, post alios excussit Leyserus *Specim. 144. Medit. 1. seq.* Si vero apparet, ipsum iusiurandum praestare voluisse, nec hereditus istud remittendum erit, quia personam demortui continuare videntur. ^{m)}

§ 4.

De vsu iurisiurandi purgatorii in causis criminalibus.

Cum maioribus periculis vsus purgatorii in causis criminalibus coniunctus esse videtur. Hic enim de vita, fama et salute hominum agitur. Hinc plures philosophi et Icti statuunt, in criminalibus plane nullum locum iuriurando esse concedendum, quia is, qui deliquit, ipso facto demonstraerit, sese religionis parum memorem, aequitatis iurisque praeccepta negligere, eumque facile ad euitandam poenam, praefertim acerbioem, ad iusiurandum fore procliuem. Neque negandum, multos homines magis moueri metu mali praesentis, quod sibi iam imminere credunt, quam vindicta diuina, quam quidem procul abesse, sibi persuadent. Huc accedit alia ratio. Si enim delictorum reis potestas permittitur malam suspicionem iureiurando auertendi, via quasi iisdem elabendi aperitur. Sic vero fiet, vt alii facilius impune peccent, atque finis poenarum primarius, qui eo respicit, vt alii a facinoribus deterreantur, obtineri nequeat, nonnulli vero, spe impunitatis consequendae, ad delicta committenda magis impellantur. E contrario extant homines, qui naturali impetu ducti, a quouis iuramento abhorrent, et, dum

B 3

ius-

^{m)} vid. Puffendorf. in *Observ. T. II. Obs. 56.* Horn. in *Respons. Class. XV. Resp. 76. n. 3.* et Wernher. in *Supplem. ad Part. IV. Obs. 151.*



iusiurandum detrectant, infontes condemnantur. Erit ergo is, contra quem suspiciones pugnant, quae tamen ad plenam probationem non sufficiunt, vel plane absoluendus, vel poena extraordinaria puniendus, quod quidem posterius nec aequitati naturali, nec regulis iuris ciuilibus est contrarium. In foris nostris saepius delictis leuioribus, modo quis grauetur suspicionibus verosimilibus, poena statuitur extraordinaria, ordinaria quidem minor. Sed nunc breuiter de vsu iurisiurandi purgatorii exponam. Locum vero eidem nonnulli tunc demum concedunt, quando super articulis inquisitionalibus a reo responsum fuerit. Hoc quidem ratione carere haud videtur, quia tota causa plenius excussa, certius statui potest iudicium. Sed aequitati tamen magis erit consentaneum, reum, qui iam in examine summario se ad hoc iusiurandum offert, praesertim si suspiciones exortas ita minuit, vt iudex prospiciat, illum et in progressu processus non vltra grauatum iri, statim ad hoc iusiurandum admittere.ⁿ⁾ Ipse vsus, magister eximius, saepe docuit, inquisitionem, quam in nostris terris specialem appellant, interdum plus damni, quam commodi attulisse, cum causa diutius protracta sumtus valde auxerit, inquisiti maiores carceris molestias subierint, bonae quoque existimationis iacturam fecerint, et, licet maxima opera in delicto magis inuestigando, vel etiam in reo conuincendo, vel vt idem ad veritatem confitentam magis compelleretur, fuerit adhibita, consilio tamen iudicis veritatis exquirendae studiosi euentus parum responderit. In iis terris, in quibus adhuc tortura tanquam medium eruendae veritatis adhibetur, illae regulae in purgatorio decernendo obseruantur,

ⁿ⁾ Conferatur Böhmer. ad *Constitut. criminal. Carol. ad Art. 20. §. 6. seqq.* Carpzov. *Part. III. qu. ut. no. 58. seqq.* Schilter. ad *Pandect. Exercit. 49. §. 69. seqq.*



uantur, quas recenset Schaumburg in *I. Sax. Edit. nov.* p. 1082. et Illustr. Malblanck. *de iureiur. Libr. IV.* §. 110. scilicet tunc ad iusiurandum purgatorium esse recurrendum, si indicia non adsunt satis specialia, quae vulgo ad torturam imponendam requiruntur. His vero obuientibus, si delinquens non talis sit persona, cui tortura possit applicari, veluti ob imbecillitatem animi vel corporis, vel ob maiorem, qua splendet, dignitatem, quibus addunt, si delictum sit leuius, purgatorium admittunt. Sed longe praestantiora praecipita leges Saxonicae recentiores proponunt. Vsum torturae tanquam remedii valde lubrici iam antea in Saxoniam prudenter fuisse restrictum, docet Sanctio de a. 1717. die 20. Iun. in *Codic. Aug. T. I. p. 1875.* quae scilicet constituit, vt, si in certamine singulari nemo interfectus fuerit, nec tamen prouocans actum profiteri vellet, nunquam, nisi suspicio per iurii adsit, tortura, sed sine discrimine personarum, iusiurandum purgatorium sit discernendum. Hodie in eius locum successit iusiurandum purgatorium, vel poena irrogatur extraordinaria. Vti vero iudex eam cautionem obseruare debet, vt prudenter discernat diuersa delictorum genera, poenasque constituat iustas, ita quoque accurate ponderet necesse est omnia, vt sententiam ferat iuri consentaneam. Hinc, si reus delictum negauerit, sollicita cura inquirendum, num eiusdem satis conuictus sit. Quodsi delictum plene non fuerit probatum, magna iudici erit adhibenda prudentia, ne nimia lenitate peccandi libidinem adaugeat, vel e contrario poenas statuat iusto duriores. In delictis minus grauibus, e.g. in furto simplici, defraudatione, stupro, atque aliis similibus, secundum indiciorum indolem, vel iusiurandum imponitur, vel delinquens absoluitur, formula: *noch zur Zeit und in Mangel mehrern, oder hinlänglichen Verdachts,* qua quidem



dem formula absolutus nihilo fecius expensas ferre debet. De eiusmodi expensis inprimis consulenda est Böhmeri *disseratat. de expens. criminal.* qui *cap. 3. §. 8.* non temere statuit, delicti reum, qui mala suspicione grauat, et denum, praestito purgatorio, absoluitur, in expensas esse damnandum. Confer. *Illustr. Praefidis Programma* anno 1790. editum, in quo excutitur quaestio, *num reus criminis ob praescriptionem absolutus, in expensas processus damnari queat?* Trita tamen periurio aperitur via in iniuriis, *) si ab offenso denunciatio iureiurando confirmata, nec tamen aliis argumentis ea fuerit corroborata. Quauo enim testes adsunt, qui veritatem iniuriae confirmare possunt, non statim quis ad iuram assueurationem admittitur, nec reo tunc iusiurandum purgatorium imponitur. *Mandat. de 7. Mart. 1716. in Cod. Aug. Tom. I. p. 1855. seqq.* Wernher. in *Supplem. ad Part. V. obs. 122.* Tunc vero putant, reum ita grauari, vt cogendus sit iureiurando suspicionem auertere. Ceterum in iniuriis facillime ei, qui se ex errore iniuriam commisisse contendit, purgatorium, si error sit probabilis, permittimus. Cfr. *Leyser. Specim. 550.* Berlich. in *Conclus. No. 52. p. 531.* De aetate ad hoc iusiurandum praestandum idonea, confer *Illustr. Praefidis Observation. iur. criminal. Spec. 3.*

§. 5.

De effectu iurisiurandi purgatorii in causis ciuilibus.

Quodsi ergo ex causis adductis iusiurandum purgatorium a iudice impositum fuerit, quaestio oritur haud leuis, qualem effectum producat eius praestatio, ad quam, ratione processus ciuilibus et criminalis habita, sigillatim erit respondendum.

*) Wernher. *Part. IX. Obs. 221 et 250.* Carpzov. *Part. III. Qu. 108. no. 54.*

dum. Iam primum in transitu quasi moneo, impositum hocce
 iusiurandum semper esse praestandum, nec ex sanctione *Ord.*
Proc. Recog. Tit. XXXII. exonerationem conscientiae hic
 locum habere, licet aliter sentiat Wernherus *Part. IV. Obs.*
151. no. 431. auctoritate *cap. 2. X. de probation.* adductus.
 Praestito vero hoc iureiurando a reo in causa ciuili, is erit
 absolendus. Sin actor ad elidendas exceptiones a reo op-
 positas iurat, secundum petitum libelli pars aduersa conde-
 mnatur. Est enim iusiurandum litis decisorium, quod tamen
 contrarii probationem non prorsus excludit. *Ord. Proc.*
Rec. Tit. XXX. §. 3. praestito suppletorio, contrarii proba-
 tionem, attamen ob sola nouiter reperta documenta, permit-
 tit. Cum vero *Ord. Proc. Rec. Tit. XXXII.* ita sanxerit:
daß es mit dem iuramento purgatorio allenthalben, wie
vorhin bey dem iuramento suppletorio verordnet worden,
gehalten werden solle, iuramento purgatorio idem effectus
 erit tribuendus. Decernitur enim iusiurandum purgatorium
 ob defectum aliarum probationum, quae si postea accesserint,
 rem antea dubiam nunc efficiunt certam. Est quidem iuris
 manifesti, aduersus iusiurandum iudiciale praestitum, quae-
 sitionem periurii non esse instituendam. *L. 1. C. de reb. cre-*
dit. et iureiurand. Sed aliud dicendum, si quis periurii
 ex documentis liquidis conuinci queat. Wernher. *Part. IX.*
Observ. 147. Negat Hommelius in *Rhapsod. Observ. 81.*
 fieri posse, ut quis per testes periurii conuincatur. Neque
 existimandum, partes iureiurando purgatorio praestito, trans-
 egisse. Licet enim iusiurandum secundum l. 2. *D. de iure-*
iur. speciem transactionis contineat, nec minorem auctorida-
 tem, quam res iudicata habeat, id tamen restringendum est
 ad iusiurandum, quod pars parti defert. Sed iusiurandum
 purgatorium praestandum iussu atque auctoritate iudicis, et-
 iam



iam ab inuitis, vt ideo ea, quae transactionis indoles postulat, minus commode applicentur. Ex iure ciuili huc pertinet l. 31. D. de iureiur. vbi Caius haec tradit: *admonendi sumus, interdum etiam post iusiurandum exactum permitti Constitutionibus Principum ex integro causam agere, si quis noua instrumenta se inuenisse dicat, quibus nunc solus vsurus sit: sed hae constitutiones tunc videntur locum habere, cum a iudice aliquis absolutus fuerit: solent enim saepe iudices in dubiis causis, exacto iureiurando, secundum eum iudicare, qui iurauerit. Quod si alias inter ipsos iureiurando transactum sit negotium, non conceditur eandem causam retractare.* Haec quidem lex permittit probationem contrariam eius, quod iuratum est, si non iusiurandum delatum, sed legale fuerit praestitum. Si is, qui iurauit, periurii conuincitur, non solum obligatur ad indemnitatem praestandam, sed etiam in poenam periurii incurrit, ex sententia Wernheri l. l. Adde Setferum *de iureiurando Libr. III. cap. II. 12. seqq.* Potest vero iuraturus vel in termino ad iusiurandum praestandum constituto plane non apparere, vel se iuramentum praestare non posse, declarare. In priori casu, modo praecefferit citatio peremptoria rite insinuata, pro confesso et conuicto habendus est, quia iuramentum pro deserto habendum atque is, qui iurare recusat, veritatem confiteri videtur. Sed de posteriori casu quaedam adhuc monenda videntur. Statuit nempe Berlichius in *Concl. 52. p. 133.* eum, qui aliis probandi mediis non destituitur, ex *Ordin. Cameral. Part. II. Tit. II. §. 5. sub fine*, etiam post sententiam, qua articuli ob contumaciam rei, cui iusiurandum purgatorium erat impositum, pro concessis declarantur, innocentiam suam probare posse, quia contumacia nihil amplius efficiat, quam vt quis imputatum delictum perpetrasse fingatur,

tur, sententia vero ex fictis probationibus lata, in rem iudicatam transire non queat. Sed haec regula usu fori Saxonici haud comprobatur, nec ea legum sanctionibus videtur esse consentanea. Certe *Ord. Proc. Rec. Tit. XXX. §. 2.* ita constitutum est, ut iuraturus, qui in termino non compareret, iusiurandum deseruisse videatur, unde sequitur, ut pro confesso et convicto declarandus sit. Quod denique ad expensas in processum factas attinet, ille, qui rite citatus vel non comparuit, vel iusiurandum non praestitit, in expensas omnes erit damnandus, dum nihil plane probavit, ideoque temerarii litigii poenam merito incurrit. Quod si quis iusiurandum purgatorium vere iuraverit, inter Doctores non convenit, quid de expensis statuendum sit. Sapienter iure civili constituitur, ut litigatores improbi ac temerarii expensarum restitutionem tanquam poenam litis temere motae suslineant. §. 1. I. *de poena temere litigant.* et L. 79. D. *de iudic.* Leyferus quidem in *Specim. 142. Meditat. 10. Corollar. 3.* eam sequitur opinionem, iusiurandum purgatorium a reo praestitum neque ipsum, neque actorem semper a restitutione sumtuum litis liberare, atque existimat, posse iudicem alterutrum, si eius temeritas appareat, nihilominus in expensas condemnare. Adde *Specim. 88. Medit. 6.* Haec sententia magnam prae se ferre videtur aequitatis speciem, cum is, qui dolo litem intendit, vel eandem ex mera malitia suscipit, debita poena afficiendus sit. Sed temeritas litigandi non semper a dolo, potius saepe numero ab imperitia et errore proficiscitur. Purgatorium vero non, nisi aduersus aliquem mala pugnet suspicio, decernendum. Neque ei, qui non plene probavit, temeritatis nota statim erit obiiicienda. Neque iudex peccat, qui in causa dubia, ut res ad exitum perducatur et lis quamprimum expediatur, ad iusiurandum con-



fugit. In nostris terris, ob ea, quae praecipit *Ord. Proc. Rec. Tit. XXXVI. §. 5.* compensatio expensarum in causa ciuili per iusiurandum purgatorium decisa, semper obuenit. Recte Griebnerus in *animaduers. ad h. l. p. 318. edit. Kistner.* monet, iureiurando purgatorio vel suppletorio praestito, eum, qui iurauit, pro litigatore temerario haberi haud posse, Haec quoque regula in Saxoniam vsu fori seruatur, neque ea, quae in causis criminalibus obtinent, ad causas ciuiles sunt trahenda.

§. 6.

De effectu iurisiurandi purgatorii in causis criminalibus.

Occurrunt hic paene iidem effectus, quorum iam mentionem feci. Etenim is, qui iusiurandum purgatorium in causa criminali praestitit, pariter absoluendus est. Quamquam enim hoc iuramentum non nisi ex indiciis satis idoneis imponitur, haec tamen omnia per sententiam desuper latam, cui parendum, tolluntur, quibus igitur remotis, nulla amplius culpa reo imputari potest. Merito tamen haec statuenda erit exceptio, a Quistorpio *Señ. 10. §. 763.* Strubenio in *rechtlichen Bedencken Part. I. no. 61.* et Meistero in *rechtlichen Erkenntnissen Part. II. Decif. 64.* comprobata, quod delinquenti, qui tantum dolum, non vero culpam per purgatorium remouit, vel aliorum delictorum fuit conuictus, vel statim in sententia, in qua iusiurandum ipsi decernitur, vel adhuc post iusiurandum praestitum, poena imponi possit. Licet enim doli remissio poenam minuat, culpa tamen, quae remanet, non patitur, ut quis plene absoluaetur. Tunc vero poena non ideo, quod quis iurauit, sed ob alia facta illicita, quae delinquens fuit confessus, vel quorum etiam satis est conuictus, infligitur modo ordinaria, inter-



interdum etiam extraordinaria. Accidit vero saepius, ut delinquens iuramenti praestationem recuset. Nec ideo statim pro confesso et conuicto habendus erit. Statuunt enim quidam Icti, si purgatorium fuerit quidem decretum, nondum tamen iuratum, defensionem adhuc locum dari, et testes in gratiam rei examinari posse, quia iuramentum, secundum *c. 2. X. de probat.* pro subsidiaria probatione sit habendum, quae principali et ordinariae sit postponenda. Cf. Quistorp. *loc. adduct.* Harprecht *Conf. 27. no. 58.* Si quis vero talem probationem in se suscipere non intendit, et nihilominus iurisiurandi praestationem detrectat, omni iure poena alias in tale delictum constituta erit afficiendus. Nec est, quod sibi iniuriam fieri putet, cum eius arbitrio fuerit relictum, velletne iusiurandum impositum praestare, an istud recusare. Hoc si renuerit, delictum confessus fuisse videtur. Carpzou. in *Praët. rer. criminal. Part. 3. Quaest. 116. no. 80 seqq.* hunc effectum tantum admittit in delictis leuioribus, pro quibus poena arbitraria carceris, aut relegationis indici solet. In grauioribus vero delictis, quando poena corporis afflictiva vel vltimum supplicium imminet, eiusmodi recusationem ad condemnationem non sufficere, sed tunc reum tormentis esse subiiciendum, existimat. Beyerus in *Delineat. D. Tit. de iureiurando. no. 117.* in grauioribus delictis tali homini extraordinariam dicitur poenam, quod tamen Leyser. *Specim. 142. in subiuncto corollario 2. argumento Ordin. Cameral. Part. II. Tit. 10. §. 2. et c. 10. X. de purgation. canonic.* negat, et ordinaria poena eum afficiendum, ideo contendit, quia sit pro confesso habendus. Equidem putauerim, hac quidem in re discrimen, quod alias inter veram et fictam confessionem intercedit, haud esse negligendum. Nam si quis sub poena confessi et conuicti ad purgatorium praestandum



fuerit rite citatus, is vero citationi morem haud gesserit, non est dubium, quin ex confessione ficta sit puniendus. Tunc vero non poena capitalis vel corporis afflictiva, sed lenior erit irroganda. Wernher. *Part. 7. Obseru. 114.* Quod ad expensas attinet, olim de hac re multum fuit disceptatum. Plerique tamen Doctores in eo conueniebant, expensas omnes ferre debere reum, si vel culpa sua, vel facto alio illicito, veluti variatione in dictis suis, purgatorio causam dederit. Iure quidem recentiori vero, inprimis Rescripto regio de a. 1717. supra laudato, constitutum, ut is, qui purgatorium iurat, expensas soluat, quia non pure, sed praestito demum iurando, fuit absolutus. Patitur tamen haec regula exceptionem in causis iniuriarum, de quibus in Decis. 38. de anno 1746. et iam antea in Mandat. d. d. 1. Iul. 1737. §. 2. in *Cod. Aug. cont. Sect. 1. p. 643. seqq.* sancitum est, ut, si praeter iuratum denunciationis asseuerationem, nihil ad reum grauandum fuerit allatum, praestito purgatorio, ab utraque parte sumtus pro rata, sint soluendi.

§. 7.

Num is, qui in causa criminali iusiurandum purgatorium praestitit, bonam existimationem retineat integram?

Superest, ut adhuc quaestionem tractem, num is, qui in causa criminali iusiurandum praestitit, famam retineat integram, quam quidem excutere tanto magis erit necessarium, quo est certius, a bona fama pendere multa commoda eximia, quae cum eadem tam arcto vinculo sunt coniuncta, ut si bona existimatio fuerit amissa, vel etiam tantum laesa, haud maneant amplius salua. Neque negandum, multos adhuc in ea versari opinione, praestationem purgatorii in causa criminali esse ignominiosam eamque bonae famae multum detrhere,

here, vt vel innocentia probata, absolutus, a munere, quod gessit, sit remouendus et dignitate, qua antea praestitit, priuandus. Sed hanc opinionem, nec aequitati naturali, nec iuri ciuili conuenire, mox ostendam. Cum enim purgatorium sit legitimum remedium demonstrandi innocentiam, aequitas naturalis non permittit, vt is, qui se innocentem esse probauit, malo aliquo afficiatur. Neque is, qui in munere publico est constitutus, vel quadam dignitate excellit, semper euitare poterit delicti commissi suspicionem, cum non desint malitiosi homines, qui odio vel inuidia ducti aliorum famam labefactare, quin eorum bona perdere et salutem euertere studeant. Hi interdum facile nanciscuntur audaciae adiutores scelerisque socios, qui lucello inhiantes se corrumpi fiunt, vt improba perhibeant testimonia. Ita vero fieri solet, vt iudex sententiam dicturus anceps dubiusque haereat eoque necessitatis redigatur, vt ad iusiurandum purgatorium tanquam vnicum veritatis explorandae remedium confugere cogatur. Durum atque inhumanum erit, hominem, qui innocentiam suam satis luculenter ostendit, omnemque delicti suspicionem legitimo modo propulsauit, priuare commodis vitae maximis. Hanc, quam ipsa aequitas suadet, opinionem comprobaturus ius Romanum. Quod si enim quis olim actionem famosam, veluti furti, instituisset, atque reo desuper iuramentum detulisset, reus, iuramento praestito, nullam infamiam incurrebat. Ita enim statuit Vlpianus in l. 6. §. 4. D. de his, qui notantur infamia: *sed et, si iureiurando delator, iurauerit quis, non deliquisse, non erit notatus: nam quodammodo innocentiam suam iureiurando approbauit.* Licet vero haec lex tantum ad iusiurandum delatum pertineat, tamen, si de effectu praestiti iurisiurandi quaeritur, ob rationis paritatem, commode applicari potest ad causas criminales.



minales. Sed et ius pontificium eam, quam propugno, confirmat sententiam. Etenim *c. 6. Causf. 2. quaest. 5.* occurrit exemplum Leonis episcopi, cui iniunctum fuerat, vt purgatorio malam suspensionem auerteret. Pontifex laetatur, quod illud praestiterit, atque haec addit: *quibus praestitis, magna sumus exultatione gauisi, quod huiusmodi experimento innocentia eius euidenter enituit. Pro qua gloria uestra praedictum virum cum omni caritate suscipiat et reuerentiam ei, qualem sacerdoti debet, exhibeat, ne qua in cordibus remaneat de his, quae iam purgata sunt, dubietas. Sed ita supra scripto vos episcopo deuotissime oportet in omnibus adhaerere, vt congrue decenterque Deum in eius persona, cuius minister est, videamini honorare.* Ex hoc loco igitur intelligitur, clericum, qui iureiurando se a suspensione delicti liberauerat, pristinis iuribus fuisse restitutum. Adde *c. 7. ibid.* Alexander III. clericum, qui in suspensionem commissi homicidii inciderat ideoque fuerat suspensus a munere, eum, praestito iureiurando purgatorio, in locum priorem restitui iubet *c. 8.* his verbis: *per purgationem canonicam innocentiam suam ostendat, sibi iniungas, quam cum praestiterit, suspensionem sine difficultate relaxes, et eum testimonii boni viri annuntians, ab infamia homicidii, nullius contradictione vel appellatione obstante, absoluas.* Accidit saepius, vt clericus, cui delictum obiectur, vt euitetur scandalum, interim, dum causa cognoscitur et inquiritur, a munere suo suspendatur. Hoc remedium *c. 8. et 10. excitat.* quidem probatur, sed ex iisdem simul perspicitur, probata innocentia, infanti beneficium esse reddendum. Hinc assentior Breuningio, qui in *dissertat. Lipsf. 1776.* edita, in qua quaestionem proposuit, *an purgator. in crimin. causf. praestit. sit iusta remot. causa, §. 4.* seqq.



segg. eam negauit. Monet quidem Leyserus in *Specim.* 142. *Meditat.* 10. *Coroll.* 1. scandali publici causa, etiam post purgationem, suspensionem posse continuari ideoque ad c. 10. X. de *purgat. canon.* prouocat. Hanc quidem exceptionem suadet ipsa salus publica, quia saepe homines eum, in quem mala cecidit suspicio, despiciere solent. Sed inde non est inferendum, eum, qui iurauit, pro innocente haud esse habendum. Consentiant mecum Setserus de *iurament.* *Libr.* 3. c. 11, 43. Mencke in *Systemat. iur. ciuil. secundum Pandect.* *Libr.* 12. *Tit.* 2. §. 25. et Illustr. Kochius *Institut. iur. crim.* §. 894.

§. 8.

Haec sententia responso Iureconsultorum Vitembergensium confirmatur.

Iuuat hic adiacere ad meam sententiam corroborandam, responsum a Vitembergensibus Iureconsultis anno 1793. ad interrogationem capituli Martisburgensis datum, quod Illustr. Praefes mecum beneuole communicauit. Quidam nobilis de N. cuius quidem nomen, quia lectoris nihil interest, consulto omitto, variorum delictorum reus arguebatur. Instituebatur copiosa satis inquisitio eique iusiurandum purgatorium decernebatur. Quo quidem praestito, nunc oriebatur quaestio, cum a capitulo fuisset, donec prorsus absolueretur, suspensus, num eidem pristina dignitas esset restituenda. Ego vero ea, quae Facult. Vitemberg. ad quaestionem propositam respondit, praetermissis iis, quae ad thema meum nihil faciunt, subiungam. Erat vero Responsum sic conceptum: *Ob wohl dafür gehalten werden möchte, daß die dem von N. beygemessene mißthätige Handlungen, wenn er deren geständig, oder überführet, höchst strafbar und zugleich den*
D gänz-



gänzlichen Verlust seiner verwalteten öffentlichen Aemter ohnfehlbar nach sich ziehen würden, auch die wider ihn vorhandene Vermuthungen, da er deshalb sowohl durch einen in Capitulo generali ordinario einstimmig gefassten Entschluß ab officio suspendiret, als auch in denen von denen Iuristen-Facultäten zu Göttingen und Jena eingeholten Urtheeln ihm ein Reinigungs-Eyd zuerkannt, und nach Ablegung desselben, er nicht pure absolviret, sondern in die Abstattung derer Untersuchungs-Kosten annoch condemniret worden, stark seyn müssen; hiernächst die von dem von N. über gewisse entworffene Punkte erstattete Antwort der articulirten Vernehmung gleich zu achten, woraus die nachtheiligsten Folgen für einen Iuculpaten in denen Rechten entstehen,

Leyser. Specim. 52. Med. 6 et Specim. 667. Med. 17.

Quistorps Grundsätze des deutsch. peinl. Rechts,

Tom. II. §. 674.

sodann verschiedene Rechtslehrer den Grundsatz, daß ein Geistlicher, wenn er auch den ihm zuerkannten Reinigungs-Eyd wirklich geleistet, dennoch sodann, wenn er zugleich durch ein an sich ungebührliches Betragen zu der wider ihn verhängten Untersuchung Anlaß, oder ein öffentliches Aergerniß gegeben, seines Amtes zu entsetzen sey, behaupten, und diese Meynung durch die Texte des iuris canonici, c. 2 et 4. X. de purgat. canon.

zu bestärken suchen,

Quistorp in Grundsätzen des peinl. Rechts, Tom. II.

§. 763. lit. a.

Leyser. Spec. 142. Coroll. 1.

Püttmann. Elem. iur. crim. Libr. 2. cap. 12. §. 820.

solchemnach, daß der von N. keinesweges dergestalt für legiti-

legitimirt zu achten, daß ihm, nach abgelegtem Reinigungs-Eyde, Sitz und Stimme im Dom-Capitul zu Merseburg, wieder zu gestatten, es das Ansehen gewinnen dürfte;

Dieweil aber dennoch unter denen protestantischen Geistlichen auch Domherren zu verstehen,

Böhmer. *ius eccles. Protestant. Lib. 3. Tit. 1. §. 35.*

Engau. *Elem. iur. canon. Libr. 1. Tit. 7. §. 88. et §. 99.*

Böhmer. *Princip. iur. canon. L. 3. Sect. 3. Tit. 3. §. 490.*

Hommel. *Rhapsod. Observat. 311. et Observ. 532. 11.*

auch die Handlungen derer letztern nach denen Grundsätzen des canonischen Rechts mit zu beurtheilen,

Stryk. *ad Brunnemann. ius eccles. Libr. 2. cap. 10. §. 7.*

in diesem Rechte aber, daß ein Geistlicher nach abgelegtem Reinigungs-Eyde, in sein Amt wieder einzusetzen und davon nicht weiter auszuschließen sey, ausdrücklich versehen,

c. 7. Causs. 2. Qu. 5.

c. 8. X. de purgat. canon.

c. 10. X. ibid.

da hingegen die in denen Zweifels-Gründen angeführte Stellen des cap. 2. et 4. X. de purgat. canon. den in dermaliger Frage befangenen Fall nicht betreffen, und blos davon, wenn der auferlegte Reinigungs-Eyde noch nicht abgelegt worden, wie wider den verdächtigen Geistlichen zu verfahren sey, handeln, auch diese Meynung, daß nach abgelegtem Reinigungs-Eyde derjenige, so solchen geleistet, seines Amts nicht zu entsetzen, sowohl durch das Kayserl. Patent und Churfürstl. Mandat vom Jahr 1731. §. 13. in Cod. Aug. continuat. Tom. I. p. 588. als auch durch das Churfürstl. Lehns-Mandat vom Jahr 1764. Tit. 1. §. 11. unterstützt und von verschiedenen Rechtslehrern mit Grunde angenommen wird,

Ber-



Berger. in. *Elect. criminal. Suppl. Obseru.* 75.

Breuning. in *disputat. an purgator. in caus. criminal. a clerico
praesentum sit iuxta remot. causa* §. 6. *seq.*

hiernächst der von N. in der wider ihn angestellten Untersuchung nicht über Inquisitional- Articul, sondern nur über gewisse entworfene Punkte geantwortet, letztere Handlung aber die nachtheiligen Folgen nicht hat, welche aus der articulirten Vernehmung entstehen,

Leyfer. *Spec.* 672. *Med.* 9.

Hommel. *Obsev.* 668.

sodann das Purgatorium, ohne Zuziehung eines Geistlichen, von dem von N. geleistet worden, und daraus, daß die wider ihn vorhandene Indicia nicht stark und von ihm ein Meineyd nicht zu befürchten gewesen, abzunehmen, ferner in denen beyden eingeholten und beygelegten Urtheiln sub B und C, daß der von N. nach Ableistung dieses Eydes, sofort der Haft zu entlassen und wider ihn, etwas weiter nicht vorzunehmen, rechtlich erkannt worden, der Umstand hingegen, daß derselbe zu Abstattung der aufgelaufenen Untersuchungs-Kosten condemniret worden, eben so wenig, als dieser, daß er sich annoch im Arreste befindet, etwas zu der in Frage befangenen Remotion beytragen kann, ie bekannter es in Rechten ist, daß poenalia stricte zu interpretiren,

c. 15. de Reg. iur. in 6^o.

L. 168. D. de R. I.

und je mehr aus dem beygelegten abschriftlichen Schreiben sub A, in gleichen aus dem Statu caussae, daß die Behandlung des von N. hart ausgefallen, und seine geführten Beschwerden weder ungegründet, noch widerrechtlich befunden worden, abzunehmen, endlich die wider den von N. gemachte und annoch unentschiedene Civil-Ansprüche, wenn er auch deshalb condemniret werden sollte, seiner Ehre nicht nachtheilig, weniger er deswegen zur fernern Verwaltung seiner öffentlichen Aemter für unfähig geachtet werden kann &c. so ist die aufgeworfene Frage dahin zu beantworten, daß der von N. nunmehr dergestalt für legitimirt zu achten, daß ihm Sitz und Stimme im Dom-Capitul wieder zu gestatten sey.

Wittenberg, Diss., 1796-98
vd18

ULB Halle

004 335 902


3



f

Sb.







13

DE
VSV ET EFFECTV IVRISIVRAN-
DI PVRGATORII

1776

5

DISSERTATIO
QVAM
PRAESIDE
D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIIS
SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PRO-
FESSORE PVBLICO FACVLTATISIVRIDICAE ORDINARIO CONSI-
STORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE XXVII. FEBRVAR. A. R. S. MDCCXCVI.

H. L. Q. S.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS GODOFREDVS THEODORVS
WINCKLERVS
DRESDENSIS.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.